

XXXIII.

Priusquam ad specialiora accedamus Prognostica, controversia hic primum, quæ ex ultimo aphorismo Hipp. S. S. oritur, discutienda venit. *An regio morbo laborantes sint Ventosi?* Interpretes Hippocratis in varias sententias distracti, litigarunt de vocabulo *ιντερωδες*, quidvè per illud intelligendum hæserunt. *Philoteus* vult intelligi eos, qui sunt oportuni flatibus. *Fuchsius* in comment. super hunc aph. per hanc vocem intelligit eos, qui flavâ bile abundant, putatq; Hippocratem h. l. non de ijs qui morbo regio laborant locutum fuisse. Verum *Jacobus Hollerius* in comment. suo affirmat contra Fuchsi-
 um Hippocratem reverà locutum fuisse de vero morbo regio, & scripsisse hunc aphorismum conditionaliter, quia vixerit in regione calidâ, ubi homines in tantâ intemperantia non vixerint quam hodie, ob eam etiã non collegerunt tantum cruditatis. Cæterum hæc sententia videtur repugnare Experientiæ, quòd Apollonius, qui mortuus est auriginosus, flatibus abundavit. Sed facilè hæc controversia componi potest. Si modò distingvatur inter Jcterum qui ab obstructione à crassiore bile, cum imbecillitate ventriculi oritur, & inter eum, qui à sola Intemperie Epatis calidiore ortum habet. Priori modo acceptus Aphorismus valet, non verò posteriori. Hoc expressè innuit antecitatus *Hollerius*, lib. 1. Prax. de morbis Internis, hisce verbis: *Cùm ferè morbus regius apud nos ex multitudine crudi humoris ortum habeat, qui imbecillitate caloris colligitur & obstruit, nec detergitur influente bile, necessariò ita affecti, erunt πνευματώδεις: Quibus verò temperatior victus, multum exercitium, calidior morbus, vel hepar, crassior-bilis, Intemperies calida, nisi accesserit imbecillitas, flatuosos non esse consentaneum est.*

Posteriori

XXXIV.

Jcterus à veneno assumpto vel morsu ictuve venenatarum bestiarum inductus, semper periculosus est ob causã potentiam & malignitatem. Omnes quippe affectus ut testatur *celeber*: *Sennertus* à venenis inducti periculosi sunt, & qui venenum communicatum vel assumptum potentius, eò & periculosior